



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Andreas Fvndanvs Ep. 6. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

laribus flammis facto sacrificio exemit, mox patriæ (Hiberniæ) Episcopatum tulit. Verum uti honor artes alit, ita invidiam provocat. Capiti MALACHIAE plures insidias posuerunt, ut ipsius insulâ suum tegerent caput. Sed cælum pro virtute pugnavit. Nam dum MALACHIAS ad asylon templum confugit, tempestas omnes ejus hostes fulminavit, lacerosque eorum artus hinc inde stipitibus arborum ad cogitati parricidii infamiam suspendit. Sed & mulier, quæ linguam in Divum armaverat, putrescere hanc sensit, ut oris virulentam infamiam graveolentia proderet. Alios oculorum orbitas, ferrum alios ignesque & dæmon malus sunt ulti. Ita omnibus periculis subductum caput in tutas latebras Claram Vallem tulit, & ut securum jam esset, cucullo abdidit. Morienti oculos clausit D. Bernardus, quem quia præconem laudum etiam suarum habere meruit, non jam Achilli Homerum puto invidabit. *Ex S. Bern.*

S. ANDREAS FVNDANVS EP.

6. Novembris.

RECTè dixit, qui dixit primum ad R lapsum gradum esse, occasionem non fugere. Id si homines inficias ire velint, ecce mali dæmones ultro fitebuntur. ANDREAS omnibus virtutibus,

tibus, sed castitatis laude inprimis clarus foeminam domi suae, privatus primum, post Fundanus etiam Episcopus habebat ipsam quoque DEO devotam. O, ut fumo semper ignis est proximus! Ibat Romam ex Campania Hebraeus nescio quis: deprehensus a tenebris ad Apollinis fanum divertit, & intempesta nocte in senatum cum Regulo suo frequentes coire Orci principes videt. Hic dum rem bene gestam singuli gloriantur, & alii alia facinora sibi quisque palmaria clamant; insolentior ceteris unus aliquis, & multum nequitia sua superbus jactat id tandem magno molimine se effecisse, ut ANDREAS Praesul mulierulae tergum molliter destringeret. Enimvero acclamatum ab omnibus est; & factum id multis Pluto laudavit, veluti que jam de victo ANDREA triumphus decretus est tenebrioni. Sub ea in discedentium oculos Iudaeus incurrit; sed quod aliena arma, Crucem, more Christiano objecisset, tantum risere hominem, testam probe signatam caetera inanem dictitantes. Nempe hic recta ad ANDREAM, qui Hebraeo Christianis, & fano D. ANDREAE Ap. transcriptis, domo abhinc omnes omnino mulieres proscripsit. Audite haec aris devota pectora. Foeminae apud vos si exulaverint, ab exilio castitas redibit. *Ex D. Greg.*

S. EN-